

## D E H O R I S

De horis meridiei, arcu quoque diurno, & nocturno.

**T**Empus, & horam meridiei cuiuslibet à gradibus. 36. ad gradus. 51. polares, arcum quoque semidiurnum, uel nocturnum integrum, aut ortum Solis in diebus anni per motum Solis indagaturus, Cum gradu ueri loci ipsius in meridie diei alicuius ex diario accepto in signis sex borealibus tam ascendentibus, quam per gradus ternos descendētibz, ac sinistrorsum positis subsequenter tabulam ingredi, minutaque ibidem è regione gradus Solis, uel proximioris sub latitudine loci propositi in communi angulo accepta horis addas, & minutis meridiei propositæ ephemeris cuiuslibet descriptis, siue ex ascendentibus tribus, siue ex descendentibus totidem signum fuerit. Et latitudo loci citra. 45. polarium graduum latitudinem extiterit, ab inde uero supra minuas. In signis autem sex reliquis australibus dextrorsum ascendentibus, uel descendentibus, econuerso, ubi maior fuerit loci latitudo gradibus. 45. addas, ubi minor, minue, quem admodum superius, atque inferius tabulæ titulus pro bisseis borealibus, atque alter pro australibus totidem signis insinuat. Sic namque per horas meridiei ad Venetæ urbis finitorem ex diario perceptas, cæterorum quoque locorum tempus hoc adæquatum habebis.

Hinc arcum semidiurnum si horas, & minuta meridiei cuiusuis priori modo pro loci latitudine adæquatas, uel pro ipsius Venetæ ciuitatis in diario exaratas, ab horis. 24. subduxeris, certum, ac limitatum elicies, quem modo semidiurnum arcum, si ab horis meridiei propositæ subduxeris, ortum Solis, uidelicet totum nocturnum tempus educes.

Prædicta etiam uidelicet ortum Solis, ac uulgaris meridiei horam per tabulam ad hoc factam iuxta Venetæ urbis, Veronæ, & aliarum uel parem urbium latitudinem graduum. s. 45. mi. 16. ferè sedulo uenaturus, cum gradu Solis à capite **V** in **♄**, & ab hoc similiter in calcem **♄** in prima Tabulæ secundæ facie, & à capite **♄** usque in finem **X** prædicto modo, cum numero graduum descendentium, si in fronte tabulæ signum, uel ascendentium, si in pede tabulæ id ipsum repertum fuerit, tabulam ipsam ingredi, è regione namque ueri loci Solis tum ortum ipsius primo, tum secundo certum meridiei tempus per horas, & horarum, minutias exhibebis.